

www.e-rara.ch

Isocratis Atheniensis, Oratoris & Philosophi clarissimi, Orationes

Isocrates

Basileae, anno 1529

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1094>

[Isocratis de pace oratio decimatertia]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

Cētis, sese immiscent: cæterum quibuslibet talem inducunt cogitationem, ut utraq; horum alternis nobis eueniant. Quemadmodum & nunc fortasse nobis quidem uerba & argumenta suppeditarūt, rebus uero gerendis te præficiunt, optime te his præfectum rati, Orationem uero meam auditoribus minime turbidam fore. Quæ antehac per te gesta sunt insigniter, nunquam tanta fuisse reor, nisi deorum quispiam ea præstrenue direxerit. Non ut Barbaris duntaxat Europam inhabitantibus bellum inferre perseueres, uerum ut in his exercitatus, experimentū accipias uirium tuarum, resciscasq; qualis sis, ut inde ea ardentem desideres, quæ tibi nunc consulo. Turpe est præeunte fortuna, humi serpere, nec adplicare te ijs ad quæ te ipsa perducere cogitat. Omnes qui de te peractis rebus boni quippiã dicunt, tibi honori esse oportere mea quidem sententia est: per illos enim præstantissimis celebrari encomijs eos qui ad maiora sese opera, tantaq; natura destinant, eaq; desiderant aggredi, dignū est. Nec eos modo qui impræsentiarū iucunde disputant, at enim qui posteros & successores tua sic insignia facta mirari facient, ut nullius alterius maiorū natu. Plura huiusmodi dicere uolens profecto non possum: ob quam idcausam, plus quàm decorum, recensui. Restat nunc dictorum hæcenus Epilogum texere, ut quampaucissimis summam eorum quæ tibi consulimus, conspicias. Te enim Græcis beneficū esse oportere adfirmo, Macedonum esse regem, Barbaris quamplurimis imperare. Quæ si feceris, **D**cuncti tibi gratias agent. Græci quidem, quod à te beneficium recipiant: Macedones, quod, ut regem decet, non tyrannū, ipsis præsis. Aliorum genus tandem, quod à barbarico tua ope dominatu liberati, Græcam curam adsequantur. Hæc ut scripta sunt, opportune exacteq; à uobis audientibus indagari iustum est: quod nemo quisquã alius meliora his, magisq; luctuoso & funesto rerum statui congruentia, consuluerit, me satis nouisse opinor.

PHILIPPICI FINIS.

IN ORATIONEM DE PACE ARGUMENTVM.

Missus Chares, ut Amphipolín in seruitutē redigeret, quæ suis legibus ad id usq; temporis libere uixerat ac suo iure, quom iam res Lacedæmoniorum post Leuctrica non bene haberent, Athenienses uero iam imbelles essent, existimans ille facile aliquid quatenus eam se posse capere, uolensq; priscam Atheniensium uirtutem defendere, inuasit Chios quoq; & Rhodios, & reliquos sociorum: à quibus adeo uictus est Chares, ut penderet animi, quidnã faceret. Nam si ab ipsis discederet Amphipolín usq; tum ipsi ulturi se trañcerent in Atticam. Quibus auditis Athenienses inducias petierunt, ac statim Chij & Rhodij cum alijs fœdera sanciuerunt. Atq; hoc est sociale bellum. Nunc igitur sit conuentus de dirimendo adeoq; componendo bello. Surgit itaq; Isocrates consultans, quod non oporteat uaria eos machinari, non in multis curiosos, sed quietos esse. Ac orationem hanc in duo partitur: priori, & Chij & alijs suam sibi libertatem relinquendam suadet: posteriore, missum faciendum dominatū, quem mari tenebant. Aduersus quam partem Aristides contradicentē habuisse orationem fertur. Status est negotialis: de pace nanq; consultat. Quod si aliquando uulgato uti exordio cogare, sigillatim tibi proœmiū quoddam adiunge: quemadmodum in hac de pace

A pace Isocratis oratione, apparatus priuatim appositus est, dum inquit: De magnis dicturi uenimus, de bello namq; & pace. Optima est in huiusmodi breuitas, si per compendium ea indicarimus, maxime si omnibus consueta sit oratio.

ISOCRATIS DE PACE

ORATIO DECIMATERTIA.



VIC VNQVE hac uestrum ante conspectū longe iucundissimū conscendūt, hęc esse maxima adfirmare consueuerunt, dignissimaq; quibus respub. attendat sedulo, de quibus ipsi consilium sint daturi. Quod si in alijs rebus talia exordio quadrant, & mihi iam nunc initium inde sumere neq; incōmodum neq; ineptum uidetur. Venimus enim de Bello & Pace concionaturi, quæ maximam in uita mortalium uim obtinent, de quibus recte deliberantes necesse est melius agere. Magnitudo igitur earū ob quas conuenimus rerum, talis est. Atqui non ex æquo omnes aurem accōmodare uos dicentibus uideo, sed alijs aduertere quidem mentem, aliorum ne uocem quidem sustinere, neq; mirandum quiddam in hoc admittitis: etenim tenuit consuetudo uestra, omneis alios explodere atque eicere, præter eos qui cupiditatibus & libidinibus uestris dicendo inseruirent. Et quod iure uobis quispiā obiecerit, ideoq; uos obiurgarit, probe habentes exploratum multas easq; præclaras domos ab adulatoribus euerfas, odioq; uobis in priuatis uestris rebus existētibus ijs, qui tali sententia ducunt, in publicis non æque uos erga illos geratis. Hinc fit ut qui accusetis alios qui accedant eos, ac uoluptatē ex eis capiant, ipsi plus adhibere fidei talibus, quā reliquis ciuibus uideamini. Nam ipsi fecistis rhetores uestros meditari & philosophari, adeoq; illis studijs incumbere, non quibus urbi cōmodaturi essent, sed quibus orationes uobis non displicentes æderent, ad quos nunc quoq; uniuersa illorū multitudo confluit. Est enim omnibus perspicuū, quod plus oblectemini ijs qui uos ad bellum adhortantur, quā qui pacata suadent. Alij quidem expectationem & spem iniiciūt, ceu facultates in bellis allaturi, ac potentiam de nouo recepturi simus, quā & antea habebamus. Alij nihil tale proponūt, uerum quomodo quieti paci q; studere oporteat, nec ingentia desiderare impendiō præter iustū, amare uero unice præsentia. Quod plurimis sanè mortalium difficillimū est: adeo enim ad spem propensi sumus, & ad eas res quæ uidentur à recto aberrare insatiabiles sumus, ut neq; amplissimas diuitias possidentes, ijs contenti stare uelint, sed plura semper desiderent, propterq; præsentia uitam periculo exponunt suam. Unde periculum est merito, ne et nos huiusmodi dementiæ obnoxij fiamus. Impendiō enim quidam ad bellum impetu quodam rapi apparent, tanquā non uulgares consultores, sed ueluti deos quosdā audierint. Nam & strenue cuncta peragemus, ac facile hostem nostrū superabimus. Porro sapientum nō est deliberare diu de ijs quæ perspecta habent, nam id superua-

Caneum, uerū opere quæ cognouerunt exequi. Nec putare se scire, quid futurum sit in ijs, de quibus consultant, sed quasi cōiectura utentes, quid nam forte euenire possit, sic de ipsis consilium dare. Quorum neutrum uos quidem facitis, cæterum pro uirili uestra turbulentissimis affectibus flagratis. Cōuenistis enim ueluti opportunū sit ex omnibus dictis, quod optimum, seligere. Veluti iam exacte tenentes quid faciendum, audire deprecamini quenquam, præter uobis iucunda prædicantes. Atqui conuenit uobis, si modò salutem reipub. quærat, plus aduersantibus uestre sententiæ mentē adhibere, quàm uobis applaudentibus: quippe qui sciat, qui huc ante conspectum uestrum prodeunt, quæ uobis cordi sunt dicentes, facillime uobis imponere. Nam id quod ad fauorem dictum est, hebetat aciem uestram, ne quod optimū est cernere possitis. Ab ijs qui uoluptati uestre orationem suam non attemperant, nihil huiusmodi patiemini. Nec enim est quod in suam uos sententiā pertrahant, nisi quod utile, perspicuum reddiderint. Sine quibus, quo pacto nam homines iudicauerint de rebus gestis, uel de futuris deliberarint, nisi uidelicet & aduersæ partis sermones inter sese explorarint mutuò, ac se utrisq; æquos auscultatores præbeant. Miror equidem seniores, si nihil dum meminere: demiror etiam iuniores, si nihil audierit. Quod propter eos, qui pacem amplectendam hortati sunt, nunquam quicquā damni accepimus: at propter eos qui procliues sunt ad bellum, in plerisque easq; non paruas calamitates incidimus, quarum rerum nullam iam planè mentionem facimus. Cæterū prompti nullo præteritorū respectu, nulla prouidentia triremes instruere, pecuniarū exactiones facere, opem ferre et bellare cum quibusque, perinde ac in aliena ciuitate malis succumberemus. Quorum caussa est, quod æque uos cōmunis utilitatis, atq; priuatæ uestre curam gerere sedulam oporteat. At uobis non idem est in hisce rebus mentis: quando enim de uestris priuatim rebus deliberatis, consultores quæritis qui potiore consilio excellant, quando pro repub. congregamini, & conuentionem habetis, talibus nō adhibetis fidem, sed inuidia eos prosequimini. Nequam uero Rhetoras, qui cathedram cōscendunt, laudibus euehitis: arbitraminiq; temulentos sobrijs plus ad stomachum populi facere: sic parum prudentes sapientiā præditis, urbis item facultates dissipantis, ijs, qui sua substantia uobis ministrant antefertis: ut nemini non mirum profecto iure uideatur, si quis huiusmodi à consilijs usam urbem ad meliorem redigendam statum speret. Vestris cōtrauenire sententijs arduum & asperum esse noui, ac Democratia regnante, nō concessam loquendi libertatem, nisi omnium hic insipientissimis, nullaq; uestri sollicitudine tactis: in teatro uero comicis actoribus & magistris, quod & omnium est miserrimū. Hinc urbis uestre errores ad alios Græcos foras eliminantibus, tantas habetis gratias, quantas nec benefactoribus: erga eos uero qui uos corripunt admonentq;, adeò grauiter adfecti estis, ceu tales qui damnum urbi dederint. Attamen licet hæc sese ita habeant, nō
 ab ijs

A ab ijs ideo quæ in animum induxi destiterim. Adueni enim non gratifi-
 caturus uobis, neq; candidatus rogationem facturum, sed ut quæ mecum
 ipse trutinari æquiore lance, uobis demonstrem, quæ primores atque
 magistratus proponere solent, deinceps & alia reipublice negotia: nihil
 enim profunt quæ nunc de pace deliberata sunt, nisi & de reliquis recte
 consulamus. Statuo igitur pacem fieri oportere, nedum cum Chijs, Rho-
 dijs & Byzantijs, sed uniuerfis planè mortalibus opus esse pactis, non
 qualia nunc quidam pepigere, sed qualia ad regem & Lacedæmonios san-
 cita sunt, quæ imperent Græcos esse liberos & sui quosq; iuris: his neq;
 iustiora reperiemus, nec urbi nostræ commodiora. At uero si hic oratio-
 nis meæ scopus figatur relinquaturq; , nihil dubito quin multi uocifera-
 buntur me imminuere urbem. Si Thebanis Thespiæ & Plataeæ relin-
 quantur, aliq; urbes, quas præter fœdera ceperunt. Nos uero citra ne-
 cessitatem ab eo quod institueramus, digredimur: quod si aduscq; finem
 me attente audiueritis, omnibus uobis planam futuram reor dementiam
 atq; insaniam eorū, qui iniuriam & iniustitiam quæstum esse existimāt,
 aliasq; urbes ui detinent. Hæc igitur per uniuersam hanc orationem uos
 docere conabor. De pace uero primum disputabimus, cōsiderabimusq;
 quidnam in præsentī uisuenire nobis optarimus: quæ si recte definiere-
 mus, ad hunc statum respicientes, de alijs quoq; rebus melius consultaue-
 rimus. Proinde suffecerit nobis, si urbem nostrā tutò administrarimus,
B ac in ijs quæ uitam et uictum nostrū attinent, feliciores simus, ergaq; nos
 ipsos unanimes, alijsq; Græcis chari reputemur. Quæ si apud nos ita re-
 periantur, nihil dubito, quin urbs nostra ad consummatam redire felici-
 tatem queat. Nam hisce nos omnibus bellum spoliauit, pauperiores fe-
 cit, ac multa nos discrimina sustinere cōpulsit, cum Græcis collisit, omni-
 busq; modis ærumnæ subiugauit. Sin pacis fœdera sanxerimus, ac tales
 nos præstiterimus, quales cōmunia pacta nos esse præcipiūt, multa tran-
 quillitate rempub. nostram geremus, liberati nimirum à bellis, periculis
 & tumultu, quo iam inter nos ipsi dissidemus: in singulos præterea dies
 opulentia uberiore augetemur, quieti & erepti ab exactiōibus ac trire-
 mium præfecturis, alijsq; ad bellum pertinentibus officijs, intrepide sul-
 cantes agros, mari trañcientes, aliosq; id genus aggredientes quæstus,
 quos nunc bellorum grassantium causa intermisimus. Porro, ciuitatem
 nostram duplo plus quàm nunc frequentari magis uidebimus, refertam
 uidelicet mercatoribus, hospitibus atq; inquilinis, quibus nunc omnino
 destituta est: & quod haudquaquā nullius momenti, socios belli, omneis
 habebimus homines, non coactos, sed suapte sponte persuasos, neque se-
 curitatis temporibus uirium nostrarum causa nos suscipientes, periculis
 uero urgentibus ad nos deficientes, sed eo erga nos animo cōstitutos, qua-
 li uere cum socios tum amicos decet. Præterea quæ nunc bello & ingen-
 ti sumptu impetrare nō possumus, hæc legatione facile adsequemur. Nec
 est quod uel Cersobleptam pro Cheroneso, uel pro Amphipoli Philip

*Scopus ora-
 tionis.*

C pum nobis bellum illaturos suspicemini, ubi nos nihilum aliena conspexerint affectare. Nunc meritò suæ potentiaë, siue parem siue uicinam urbem fieri nostram timent, quia nostra non unice nobis chara uideant, ut pote qui plura nunquam non percupiamus. Quod si mores nostros permutarimus, melioremq; reipub. formam et gloriam receperimus, nedum à nostro sibi prouentu, sed suo quoq; quem nostri inuasiōe sperare possent, abstinebunt. Nam proderit eis, ubi nostræ urbis potentiam inuiolatam reliquerint, in hoc, ut sua quoque regna tutò possideant. Quin & Thraciæ tantum nobis terræ adimere licebit, ut non modo ipsi satis retineant, uerum ut & indigentibus Græcorum, adeoq; penuriæ causa palantibus sufficientem suppeditare uictum queant. Nam si Athenodorus & Callistratus, alter plebeius, alter transfuga, regere ciuitates potuere, quāto magis nos, si uelimus, multos huiusmodi locos obtinere queamus? Operæpretiū est autem eos qui inter Græcos primas sibi uindicant, huiusmodi operum potius duces esse, quā belli, externiue exercitus: quā nunc uel maxime desideramus, quibus & legatorum pollicitationes recte adiunxerimus. Nec uos paci datis suffragijs tantūmodo ex hoc abire conuentu censeo, cæterum inuito quoq; consilio, quanam ratione ea potiamur, neq; more nostro, modico temporis interuallo relicta pace ad prietas turbas transferamur, nec moram, sed liberationem potius quandā à præsentibus malis reperiamus. Quorum omnium nihil prorsum antea fieri potest, quā persuadeamini, tranquillitatem & pacem maiori comoditati, maiori item lucro esse, quā in multis temere uersari rebus, id est bello, iustitiam quā iniuriam, propriarum iuxta rerum curam præstare alienarum cupiditati. De quibus nemo unquam Rhetorum dicere uobis ausus est. Ego uero plures in eam sententiā posthac sermones habiturus sum. Animaduerto enim, non in nostris, quibus nunc incumbimus actionibus, sed in ijs quæ cōmemoro, felicitatem reipub. nostræ consistere. Nam qui uestrā immutare mentem uelit, necesse est non consuetam oratorū uiam ingredi, uerum plurimas res attingere, prolixioresq; facere sermones: alia quidem ad memoriā reuocare, alia condemnare, alia prædicare, de quibusdam etiam consilia capessere. Aegre nanque ex his omnibus uos quispiā ad rectiorem animi sententiā reduxerit. Quod enim semel in animo radices fixit, difficulter inde auellitur. Mihi sanè illorum suasiōes omnes desiderare uidentur quod utile est, alijs q; ampliores diuitias, nec nouisse tamen quibus eò perueniatur rebus: alijs enim sunt aliæ opinionēs. Pars æquabiles ac quod deceat coniectare ualentes opinionēs gerunt: pars ut in plurimū ab utili deuiantes, id quod urbi quoque cōtingit. Arbitramur quidē, si mare multis triremibus nauigemus, ciuitates præsidia dare, & confessores iudiciorum huc mittere cogamus, quippiam decori peragere: at longe certe ueritate fraudati sumus. Nam quæ sperabamus, eorum nihil planè nobis euenit. Inimicitiaë igitur inde nobis, & bella, & sumptus ingentes fiunt non immeritò. Nam & antea huiusmodi

A huiusmodi temerario ausu in extrema usque discrimina coniecti sumus. Porro quum ciuitas nostra iuste ageret, iniuriam passis succurreret, nec alienis inhiaret, suapte sponte nobis regnū & primatū tradiderūt. Quae nunc nulla ratione admodū arroganter & temere iam inde à multo tempore despiciamus: adeò insipientiā eò prolapsi sunt, ut reputarent iniuriā quidem improperabilem & cōuicijs expositam, lucelli uero quotidie humanis rebus quicquam adijcientem, iustitiam præclaram & probatam rem, cæterū cōmodi expertem, ut quæ alijs plus iuuat, quàm suum à quo possidetur herum: ignorantes quod neq; ad quæstum, neque ad res gerendas, neq; omnino ad felicitatem quicquam profit ulla uis, quantum et uirtus & eius species. Animi nanq; bonis iuxta, quibus indigemus, comoda possidemus. Proinde qui suam floccipendunt sententiam, seipos fefellere, uilipendentes pariter rectius sapere, cæterisq; agere melius. Ec quis nō demiretur eum qui putet pietatem & iustitiam colentes, exercentes, ac in ea perseuerare & permanere uolentes, minus habituros malis, nec plus siue apud Deos siue homines alijs laturos arbitretur? Ego uero ita persuasus sum, ut credam eis modò lucro intendendū, quibus necesse sit, alijsq; quibus non secus quicquā licet. Equidem sanè conspicio eos quibus iniuria, alienaq; prædari, summum adeoq; preciosissimum bonum habetur, similia quædam perpeti inescatis auiculis, quæ primū non citra maximam uoluptatem illecebris fruuntur, at paulò post extremis obruuntur malis: *Simile.* At pie iusteq; uiuentes omni tempore tutos esse, uniuersosq; uitæ suæ cursu suauiori spe imbui. Et quanquam hæc non per omnia sic usu uenire soleant, hac tamē ratione frequentissime fieri. Est uero prudentia insignium, simulac quid nobis profuturū conspiceri nequeamus, quod crebro prodesse obseruatur seligere. Omnium prohdolor indignissima patiuntur, qui iustitiæ studium rectius esse Deoq; gratius iniustitia ducunt: miseriorem enim hac usos uitam uiuere censent, nequitiam & nihil nō sceleris deligentibus. Porro animus erat, perinde ac facile est commendare uirtutē, sic & facile esse persuadere auscultatoribus, uti ad eius sese exercitium & actionem accingant: at uereor ne incassum nunc hæc dicam, corrupti enim iam inde ex multo tempore sumus ab hominibus, si modò hominibus, qui nihil aliud quàm uerba dare queūt: qui adeò multitudinem aspernātur, ut quando producere copias aduersum quosdam uoluerint, ipsi pecunias recipientes, dicere nō uereantur, maiores imitandos necessariò, neq; ferendum nos risui & contemptui esse: neq; nauigationem illis marinam permittendā, qui præsidia nobis destinare nolint, penderēue uectigal. Proinde lubens rescuerim, quibus nam priscis patrum nostrorum nos similes fieri iubeant, num ijs qui circa Persica florere, uel qui ante bellum Decel'cū urbem administrarūt. Nam si illis nos pares uolunt, nihil nobis aliud præcipiūt, quàm ut rursus periclitari de seruitute cōsulant. Sin qui ad Marathona uicerunt, quiq; ante eam uiguerunt pugnam, qui non sunt omnium impudentissimi, si qui tum rempublicā

C gessere, prædicant, nos uero longe ab illis diuersa facere flectunt, adeoq; ab ijs errare, ut quid mihi faciendum planè dubitem: num ueritatē meo more proloquar, sepeliam ne silentio, in uestri odiū incidere ueritus. At enim libere de rebus disputare mihi satius uidetur: Etsi perspiciam uos iniquiore esse animo in uestri ipsorū obiurgatores, quàm qui damni insignis alicuius extiterint uobis autores. Pudeat me si plus meam curare famam, meam existimationem, atq; publicam salutem uidear. Hinc orationes reipub. cura ductas, si nō suauissimas, tamen utilissimas eligere soleo. Principio uos cognoscere oportet, quod corporum languoribus & morbis uariæ omnisq; generis curæ à medicis reperiantur: decumbentibus animis & prauis cupiditatibus refertis, nihil aliud pharmaci reliquū est, quàm oratio peccanteis ausa corripere. Quàm uero ridiculum est, uisiones & sectiones medicorum sustinere, ut alijs quamplurimis doloribus liberemur: orationes uero reprobemus, priusquam clare cognoscamus, num talem uim habeant, ut auditores iuuare queant. Ideo autē hæc præfatus sum, quod de reliquis nihil strictim breuiter ue, sed remisse & fuse omnino uerba facere decreuerim. Quis enim aliunde adueniens, nondū unā nobiscū corruptus, si protinus rebus uestris præficiat, non furere ac desipere nos putarit: qui de maiorum quidē nostrorum factis gloriamur, urbemq; ex tum gestis rebus celebramus, ac nihil tamen illorum simile, sed planè contrarium agimus. Siquidem illi pro Græcorum salute, cum Barbaris cōmittere perrexerūt: at nos ex Asia sibi uictum inquirentes, inde exuscitantes, super Græcos adueximus. Et illi quidem liberantes Græcas ciuitates, illisq; opem ferentes, principatū obtinuerunt, quo digni iudicati sunt: nos uero in seruitutem adacti, diuersaque longe ab ijs, quæ patres nostri facientes, acerbe ferimus, nisi idem nobis cum illis obtigerit honos: qui tanto inferiores facti sumus, cum operibus tum sententijs, patribus, qui tum uixere, quanto illi pro cōmuni Græcorum salute patriā suam relinquere ausi, pugnantes ac nauali conflictu concertantes, Barbaros fuderunt: nos ne pro nostro quidē proprio cōmodo subire pericula dignamur, sed omnium dominari quærimus: militare nolumus, & bellū tamen aduersum omnes ferè homines suscipimus: nec ad hoc nos præparamus aliquibus exercitamentis, cæterū homines quosdam perditos, quosdam ultro accurrentes, alios alia fraude cōfluentes, quibus plus mercedulæ quisq; soluerit, illius contra nos castra sequuntur: attamen sic eos diligimus, ut si uel in liberos quosdā nostros peccarint, nolumus eos luere pcenā: sin de ipsorū rapina, iniuria, auaritia uenturæ sint querimonix, tantū abest, ut dolenter sufferamus, ut & ideo lætemur, si quod tale quippiā designarint, in eorum aliquis accusationē propterea descendat. Eò demū stultitię peruenimus, ut quotidiano propemodū uictu destituti uideamur: peregrinos hospites alere conati sumus, ipsosq; cōfoederatos nobis uastamus, tributa colligimus, ut cōmunibus oīm hostibus stipendiū numeremus. Tāto uero peiores sumus maiorib. nō modo ijs qui chari, sed

Ari, sed & qui odio sunt habiti, quantum illi quidem si copias armare contra quosdam statuissent, referta existente auro & argento arce, adhuc tamen pro ijs quæ sibi cordi fuissent, sua corpora periculo obiectare putabant oportere. At nos simulac ad tantam penuriam redacti, ac tot sumus multitudine, instar potentissimi regis conductiis exercitibus utimur. Ac tum sanè si triremes adornarent, exteros & seruos nautas imponebant, ciues autè armatos in aciem collocabant: nunc exteris armatis utimur, ac ciues remiges agere cōpellimus. Quare ubi ad hostilem manum peruenerint, illi Græcorū dominari cupientes, apprehensa transtri parte aufugiunt; qui uero tali ingenio sunt, quales ante recensui paulò, armis certe periclitantur. Quod si reipub. nostram quis administrari rectius obseruarit, & de alijs maiorem confidentiã recipiet, nec in illos ipsos potissimum excanduerit, qui indigenas nos gloriamur, si urbs nostra præ alijs melius gubernetur. Expedit autem uos omnibus exemplar esse recte & ordinate reipub. gerendæ. Nunc uero peius & turbulentius nostram reimp. administramus, quàm qui nuper ciuitates incolere orsi sunt. Et interim tamen graues, autoritatisq; pleni sapimus patruos, multa nobis tribuimus, quasi alijs meliores simus. Facilius tamen uolentibus hanc claritudinem nostram impertierimus, quàm Triballi uel Leucani suam obscuritatem, adeoq; generis ignobilitatem. Iam ut plurimas condimus leges, sic parū à nobis curantur. Vnū huius rei exemplū ubi audiueritis, **B** de alijs ipsi iudicium feretis uestrū. Quum enim poena mortis cautū sit, ne quis aream iudicij corrumpat muneribus, qui hoc apertissime faciūt, eos belli duces creamus: & qui plurimos ciuiū uitiare donis potest, illum maximis rebus atq; negocijs præficimus. Porro nō minus in administratione reipublicæ studiosos quàm totius urbis salute negligimus: comper tumq; habentes tranquillitate et securitate suis auctibus crescere persistereq; populi principatū, adeoq; reipub. statum, bellis uero iam iterū dissolutam, erga pacem desiderantes perinde nos gerimus, quasi tyrannidis formam (qua in paucorum manu summa rerum foret) affectent: at qui nascituri belli sementem iaciunt, eiusq; consultores existant, ceu popularis regni fautores, beneuolos reputamus. Consiliorum uero & rerum peritissimos adeò nulla ratio, nullus habetur respectus, ut de talibus ne uno quidem die eadem sentiamus. Verū quos antea quàm ad concionē ascenderemus accusabamus, eos ubi cōuenimus, probamus, eligimus: post moræ paululum, qui sic iudicati sunt, abeuntes protinus denuo culpamus & arguimus. Itaq; sapientissimi omnium Græcorum uisi, huiusmodi à consilijs adiungimus nobis, quos nemo est qui non despexerit: eosdē omnium publicarum rerum dominos constituentes, quibus nemo tamen priuati quicquam permiserit. Quodq; omnium longe miserrimū, quos confessi fuerimus ciuium sceleratissimos, eos fidelissimos reipub. custodes arbitramur. Inquilinos tamen & aduentitios tales iudicamus, quales ipsi sibi præsides legerint. Et nos talem nō relinquendam nostris præfectis glo-

C riam putamus? Tantum uero à maioribus nostris distamus, quantum illi quidem eosdem & urbis rectores cōstituebant, & belli duces eligebant, eum qui in frequenti Senatu optima consulere possit, et apud sese optima suafurum rati. At nos longe ab ijs diuersum cōmittimus. Nam quibus in maximis caussis à consilijs utimur, eos exercitui præficere non dignamur, ceu ignaros & imprudentes planè: Quibus nemo neq; de priuatis rebus, neque publicis consilia cōmunicarit, hos Imperatores ueluti, comissa illis omnium nostri autoritate, emittimus, quasi uero illic sapientiores futuros, ac facilius cōsulturos cum de Græcis tum de ciuilibus rebus, quàm de hic sibi propositis speremus. Nec aduersum hæc omneis dico, cæterum aduersum illos qui sese reos eorum quæ dicuntur norunt. Quod si omneis defectus atq; cōmissa in repub. explorare moliar, quod reliquum est diei nō mihi satis fuerit. Fortasse quispiã ex ijs quæ per me commemorata sunt obnoxius, dolenter ea ferens, interrogarit: quo pacto igitur, si quidem adeò perperam consultamus deliberamus ue, conseruamur, ac potentiam nulla ciuitate minorem possidemus? Si enim à pugna qua uicere Lacedæmonios Thebani, illi ipsi quidem restituta Peloponneso libertate, suisq; reliquis Græcis legibus, quieti nauassent operam, nosq; à tramite non deflexissemus recti, ei non fuisset quæstioni relictus locus, cognouissemusq; quāto sit melius prudentia clarere, quàm se multis temere occupare studijs. Nunc in eo sunt res Græcæ statu, ut Thebani imminenti discrimine nos seruent: rursum nos Thebanos iuueamus, ac nos illi in socios recipiant, illiq; uicissim à nobis confœderatorū & auxiliatorum numero habeantur. Si iam sapientia prestaremus inter nos mutuò, pecuniam ad conuentus atq; comitia adhiberemus: utri enim sæpius Senatum habuerint, hi dissentientes à nobis, ad meliorem sententiã permouerent. Est uero uel parum rationis ductum sequentibus necessariū, non in hostium suorū peccatis salutis suæ spem collocare, uerū in suis rebus atq; consilijs. Quod enim illorū inertia nobis contigit, bonū fortasse cessauerit, receperitq; permutationē: at quod per nos ipsos fit firmiter, stabilius deniq; nobis permāserit. Temere porro suspiciones mouētibus nō est difficile cōtrauenire. Sin quispiam æquabiliore mente iam astans, me uerū dicere affirmarit, meq; nō immerito in ea quæ geruntur hodie inuehi, iustū uerò iuxtà esse adiecerit, eos qui nō sine beneuolentia & lenitate admonuerint, nedum accusare inique acta, sed consultum quoq; dare, à qualibus nam abstinentes, quæ ue expetentes huiusmodi habere consilium desistamus, ut ne sic ultra peccemus. Quæ admonitio in caussa erit, cur destituatur, nō uera quidem aut conferente, sed placente uobis response. Præterea quom hæctenus non aperte palam de industria dixerim, non est apertiori harum demonstratione cunctandum diutius. Quæ igitur adesse conueniat futuris beatis, nempe pietatem, temperantiam & iustitiam, & hoc genus alias uirtutes, pauloante exposuimus. Qua ratione uero ut tales fiamus celerrime erudiamur, nunc ueris nobis ante oculos argumentis

A argumentis ponendū. Fortasse audientibus hæc uobis graue esse uideatur, et ab aliorum sententia planè alienum. Ego in hoc sum, ut credam ciuitatem nos melius gubernaturos, ac omnibus negocijs ciues augmentum recepturos, si imperiū quod mari geritur, ambire desierimus. Nam illud est quod etiamnum turbatos nos reddit, ac turbas ciet, reipub. nostræ liberam dissipet formam (quam maiores nostri gerentes, omnium Græcorum felicissimi extiterunt) ac omnium ferè malorum sit fons, quæ cum ipsi sustinemus, tum alijs exhibemus. Noui quidem difficile esse, ut is qui dominatum ab omnibus amatum, à nemine quoque non impense petitum accuset, tolerabile quippiam uideatur dicere. Attamen postquã alias sustinuistis orationes, ueras quidem illas, sed odiosas, & has æquo uos animo ferre queso, nec tam me insanum reputare, quod de adeò commune uulgi iudicium excedentibus rebus disputare uelim, si nihil de ipsdem ueri mihi in promptu sit. Perspicuū enim nunc me omnibus facturum opinor, quod nec iustum imperium ardeamus, quod nec contingere, nec si uel maxime contingat, prodesse nobis possit. Nam Lacedæmonijs hac potentia fungentibus, quales non orationes impendimus? accusantes illorum principatum, caussantesque iustum esse Græcos suo relictos iuri.

Quas Græcarum urbium ad societatem, ad fœdera super his ferenda, non incitauimus? Quot legationes ad Regem Magnum destinauimus, quæ ipsum docerent, nec iustum, nec consultum esse, unicam urbem in Græcia potiri sceptris? nec prius pugnando destitimus, periclitando item terra marique, quæ Lacedæmonij icere fœdera de libertate uoluissent. Quam igitur iniustum, pernitiosum etiam, inferiorum potiores dominari, illis quidem temporibus tum didicimus, nostræque reipub. hodierno statu. Quod uero imperium nobis hoc parare non possumus, nulla mora nunc patefaciam: nam si decem millibus talentorum conseruare nequiuimus, qua uia illud ipsum, ad tantam penuriam redacta ciuitate nostra obtinebimus? quibus præsertim moribus feramur, non quibus id accepimus primum, sed quibus amisimus. At quod nec si ultro urbi offeratur, id suscipere conferat, celerrime ex hoc mihi agnitori uideamini. Quod priusquam exponam, pauca libitum est præfari, ne asperior immodestiorue appaream uobis. Vereor enim ne crebrius uos obiurgem, urbem accusare quibusdam iudicer. Si erga alios quosdam sic differere aggrederer de rebus, non iniuria succumberem accusationi huic: at nunc ad uos uerba facio, nemini uestrum calumnias struere desiderans, sed cupiens uos ab inutilibus istis conatibus auocare, & ad pacem (de qua omnis sermo stabilis est) cum urbem uestram, tum reliquos Græcos redigere. Operæpretium est insuper & ad hortantes & accusantes argumentis uti ferè similibus: uires autem, in quantum fieri potest, longe inter uos mutuò diuersissimas obtinere. Vnde & non æquis erga sic dicentes, uos affectibus duci conuenit, sed qui uobis non citra noxam conuiciantur, tanquam reipub. uestræ maleuolos odisse: at qui ad comodantia uobis hortantur, commendare, meliorumque numero

*Antonomastia
Philippi.*

C
 ciuium supputare, & ex eorum præcipue numero, qui omnium possit euidentissime ante conspectum uestrum statuere, prauas actiones & calamitates quæ ab illis fiant: sic enim ocysissime faciet uos odio prosequi quæ odio digna existunt, ac ad meliora negocia summis uiribus anhelare. Super uerborum igitur asperitate eorum quæ dicta sunt hæcenus & porrò dicentur, hæc habui, quibus me apud uos purgarem. Nunc unde deflexi, denuo faciendum est mihi exordium. Nam inde uos cognituros dixi non prodesse uobis, recuperare imperium maris, si perciperetis animo, quo pacto administraretur urbs uestra, priusquã potentiam illam obtineretis, & quomodo simulac eam sibi adepta est. Si enim hæc alterna mente, collatisque inter sese cogitationibus fueritis contemplati, agnoscetis quantorũ malorum caussa reipub. extiterit. Proinde tanto fuit melior res pub. tum ea quam post adeptum illud regnum maiores nostri gesserunt: quanto sanè Aristides, Themistocles & Miltiades uiri illi, Hyperbolo & Cleophonte, alijsq; nunc populo concionantibus, præstitere. Ad hæc populum tum in reipub. agentem, neq; torpore, neq; penuria, neque spe uana reperietis refertum: sed talem certe, qui in regionem nostram uel quosuis irruentes pugnando uincere posset, quin præmijs egregiarum uirtutum symbolis, quibus pro Græciæ salute nihil aduersi subire detrectauit, iudicatum dignum: adeò deinde fidelem habitum, ut plurimæ ciuitates ultro sese illis traderent. His ergo ita comparatis, pro reipub. forma cunctis mortalibus gratissima, ad tantam usq; licentiam potentia nos illa perduxit, quam nemo hominũ cõmendauerit: quæ ciues nostros antea strenue pugnando hostem uincere consuetos ita instituit, ut ne extra mœnia urbis in hostem prodire audeant, hostem inquam, mœnibus nostris imminentem, obsidioneq; ingentem propèmodum. Hinc etiam accidit, ut pro beneuolentia, qua in eam socij afficiebant, & gloria, qua præ reliquis Græcis fulgebant, in tam acerbũ odium peruenerit, ut ferè urbem nostrã ad seruile redigi contingeret iugum, nisi Lacedæmonios primũ bellanteis beneuolentiores adsecuti fuissetus ijs qui antea belli fœdere nobis iungebantur. Quos non iure in iudicium uocamus, quod sese nobis asperos exhibuerint. Nec enim temerario quodam ausu, sed quia ualde et acerbe adflcti erant à nobis, tam erga nos induere sententiam, ut sese ulciscerentur. Quis enim lasciuiam patrum nostrorum æquiore animo ferat? quis tantam libidinem? qui collectis ex uniuersa Græcia inertissimis, nullorum non scelerum participes, instruente ea hominum fece triremes, Græcis odio erant, eosq; odio prosequabantur, ac optimos quosq; in alijs ciuitatibus eiciebant, eorũ bona sceleratissimis nebulonibus impertientes. Hic si illorum temporũ acta liberius & exactius ausim disputare, fortasse effecerim, uti de alijs melius deliberetis, ipse uero calumniæ succumbam. Non enim sic odisse pessimorũ facinorum consuestis autores, ut eorũ accusatores. Igitur tali uobis mente præditis, metuo ne dum beneficis esse coner, aliquid inde damni reportem. Attamen ne sic quidem

A dem omnino desistam ab ijs quæ mecum animo perpendi. Verum acer-
 bissimis, & quæ maxime uos turbare possent omissis, ea duntaxat ad me-
 moriam reuocabo, quibus dementiam ne uel imprudentiam dicam: tum
 repub. administrantium experiemini. Accurate enim admodum, quo-
 rum caussa se odiosos redderent, offendebant. Itaque reliquam è tributis
 facultatem atq; argentū in talenta partientes, in Orchestram, Dionysio-
 rum festa solennitate uel suffragijs ferre decreuerunt. Simulac uero thea-
 trum refertum esset, hoc faciebant, liberosq; eorum qui in bellis occubue-
 rant, iuxta introducebant: utrisq; nimirū ostendentes, socijs quidem præ-
 cium & ualorem bonorum quæ ab ipsis conductijs adferrentur militi-
 bus, reliquis uero Græcis orphanorū multitudinem, calamitatesq; pro-
 pter hanc auaritiā quæ euenisset. Hæc facientes ipsi felicem faciebant
 urbem, ac pleriq; mente carentes atq; prudentia, beatam ipsam prædica-
 bant. Nullam interim eorum quæ inde euentura essent, habentes prouis-
 dentiam, diuitiarū tantūmodo acri æmulatione demirationi inhærentes
 infixiq;. Eò domesticæ rei tandem neglectu, alienorūq; cupiditate æstu-
 ante peruentum, ut Lacedæmonijs in regionem eorum impetum facien-
 tibus, muroq; iam Decelico constituto, in Siciliam ipsi naualem expedi-
 tionem adornarent: neq; eos quicquā puderet mutilatam uastatamq; pa-
 triam suam negligere, in eos militiam emittentes, qui nihil unquā damni
 dederant, nihil iniuriæ intulerant, nihil doli nexuerant. Sed eò insipien-
 tiæ progressi sunt, ut suburbanis domesticis hostibus non deuictis, Ita-
 liæ, Siciliæ & Carchedonis dominari expectarint. Adeò uero stolidita-
 te omnes homines superarunt, ut quum alios calamitates contrahant, fa-
 ciantq; prudentiores, illi nihil planè talibus edocti sint. Porrò pluribus
 maioribusq; inciderunt malis, huius imperij administratione, quàm alio-
 qui ullis unquam temporibus ciuitatis nostræ. Nam quum in Aegyptū
 ducentæ quidem triemes nauigassent, unā cum uniuerso apparatu suo
 interierunt. Iuxta Cyprum centum & quinquaginta submersæ. In Pon-
 to decies mille è suis socijsq; armatos perdidit maiores nostri: in Sici-
 lia quatuor myriadas ac triemes ducentas & quadraginta: tandē in Hel-
 lesponto ducentas. Quæ uero denæ, & quinæ, & plures his, periire,
 quiq; singulis milibus, aut binis moriuntur, quis numerauerit? Verunta-
 men licebat horum omnium quotannis iusta peragere, quæ pleriq; tum
 urbi nostræ uicinarum, tum aliorum Græcorum frequentes accedebant,
 non ut lugerent unā mortuos, uerum ut assentirentur calamitatibus no-
 stris & ærumnæ. Tandem ipsi non obseruarunt, quod publica ciuiū suo-
 rum sepulchra complerent, tribus deinde, hæreditariorūq; præfecto-
 rum libellos ac rationaria, cum urbi suæ nihil cōmodantibus, exteris ui-
 delicet & aduentitijs, quos amissorū per illud imperium in locum subro-
 gatos oportuit. Quin & inde quisquam eorū qui periire, copias cogno-
 uerit. Siquidem genera clarissimorū uirorum, familias item amplissimas,
 tyrannicas seditiones, Persicum item bellum effugerunt, reperiemus

C *vrbs quæ se-
licior.* *Imperii à ty-
rannide distat.* *D* *modo*
 C dominatu isto, quem nunc expetimus euersas et extinctas. Quare si quis
 alia quoque considerarit, ad hoc ueluti exemplar referens, planè immutati
 & alij quàm tum uideri queamus. Atqui felicem esse urbem operæ præ-
 tium est, non eam quæ ex quacunque hominū colluue ciuium auctiori ha-
 beat numerum, cæterū quæ genus eorum qui ab usque primordijs ipsam
 gubernarint, præ alijs conseruet potius. Viros præterea æmulari, non
 qui tyrannides obtinent, neque maiorem æquo potentiam possident, sed
 quos omni honore dignos esse constiterit, qui quæ à populo profecta dona
 preciosa duxerint, adeoque rempublicam dilexerint. Talem enim potestatem ne-
 que uir quantumuis celebris, neque urbs aliqua accipere queat honestiorē
 uel munitiorem, uel præstantiorē denique. Qualem qui circa Persica flo-
 ruere, tenentes, nequaquam prædonum instar, uictum quæsiuere: aliàs qui-
 dem copia rerum exuberantes, aliàs annonæ caritate, obsidionibus ma-
 ximisque malis sudantes. Enim uero quotidianæ alimonix neque penuria
 neque superfluitate grauati: in reipublica uero gerendæ tum iustitia, tum alijs
 uirtutibus abunde satisque honorati, suauioresque alijs uitam transigentes.
 Quæ quia posteri eorum atque nepotes neglexere, non imperare, sed ty-
 rannidem exercere conati sunt. Quæ earundem esse uiriū apparent, sed
 enim plurimum inter se mutuò distat. Imperantiū enim munus est, im-
 perio subditos suis studijs reddere beatiore: Tyrānis uero in more est,
 aliorum & laboribus & iactura uoluptates sibi suas comparare. Neces-
 sum est itaque huiusmodi opera aggredientes, in tyrannica etiam mala in-
 cidere, ac talia perpeti, qualibus alijs ipsi temere damnum dederint, fue-
 rintque uel molestissimi, quæ & urbi nostræ contigerunt. Pro eo enim quod
 pro aliorum munitioribus ædificijs excubias cecinerunt defenderuntque,
 suam ipsi arcem hostium teneri uide conspexerunt. Proque eo quod liberos
 aliorum in obsides reciperent, à patribus & matribus auellerent, non mi-
 nima ciuiū pars suos ipsius obsidionis tempestate peius instituere et alere
 quàm decebat, compulsæ est. Pro eo quod alienis agris sulcos aratro in-
 finderent, iam inde à multis annis ne uidere quidem suam terram & agros
 licuit. Proinde si quis interroget, Num cordi sit nobis, tanto iam tempo-
 re imperantes, talia patientem urbem introspicere? quis fateatur, nisi quis
 omnino demens sit, cui neque sacra, nec parentes nec liberi curæ existant,
 præter solum æuum suum? Quorum sententiā parum dignum est secta-
 ri: uerum longe potius emulandi qui plurimam horum omnium prouiden-
 tiam fecere, nihil minus pro publica gloria quàm sua solliciti, mediocrem
 uictum iustitia, quàm ingentes diuitias iniquitate potius deligentes. Ete-
 nim tales se maiores nostri exhibentes, urbem longe felicissimam posteris
 per manus tradiderunt, suarumque uirtutum nunquam morituram relinqui-
 re memoriam: è quibus facile est utraq; condiscere, et regionem nostram
 quod uiros alijs præstantiores alere possit, et quod sic uocatur imperium,
 re uera calamitatem, quod soleat omnes eo utentes peiores reddere. Cu-
 ius rei uel id quoque maximum argumentum. Non enim nostram tantum

A modo, sed Lacedæmoniorū quoque ciuitatem adeo corrupit, ut qui illorū predicare uirtutes consueuerint, nō possint affirmare, quod nos propter formam reip. nostræ, qua penes populum est rerū moderamen, male simus usi negocijs: quam si Lacedæmonij recepissent, beatos nimirū cum sese tum alios fecissent. Protinus namque in illis suam naturam Democratia demonstrauit. Rempublicam enim, quam septingentis annis ab uniuersis periculis atque calamitatibus immotā gessere, eam modico tempore & concussam ferè ac dissipatam reddiderunt. Pro exercitijs ergo & studijs quæ apud illos uigebant, uulgus iniuria quidem, socordia, iniquitate & auaritia imbuerūt: publicum urbis bonum, rebus bellicis, confœderatorum nobis arrogantia, libidine alienorum, contemptu iureiurandorū, & pactorum. Tanto uero nostros exuperarunt in Græcos peccando, quanto prioribus suis delictis cædes & tumultus in ciuitatibus passim ediderunt, quibus nunquam cessaturas uicissim inimicitias gerunt. Adeo dein de belli periculorūque amore flagrarunt, qui alio uel tempore ad huiusmodi promptiores erant: ut neque à sibi bello confœductis, neque à benefactoribus suis temperarent. Cæterum rege in bellum, quo nos adorirentur, ultra quingenta sanè talenta ipsis expendente, Chij omnium sociorum classe ipsis succurrentiū facillimis, Thebanis maximū peditatum subministrantibus, neque sic tamen imperium obtinere præuenerunt. Ac Thebanis illico insidias meditati, aduersus regem, Clearchum et Stratiam miserunt, Chiorum primores ciues fugarunt, Triremes ex hybernis stationibus extractas omnes prædantes abiecerūt. Nec tanta illis designasse flagitia satis erat, sed enim sub idem temporis depopulabantur Epirū, uim inferebant insulis, tollebant in Italia & Sicilia respub. in earum tyrannides locum succenturiantes: uastabant Peloponnesum, bellis & seditiōnibus implebant. In quam uero ciuitatē non susceperunt bellum: in quas non peccarunt: Nōne partem quandā Eliorum agri abstulerunt: nōne Corinthiorū terram secuerunt: nōne Mantineas disperferunt: Philias occuparunt: in Argiuorū agrum irruerunt: Nihil demum cessabant alios adfligere, sibi uero ipsis conflictum Leuctris apparare: quam quidem causam malorū asseuerant Sparte, sed à uero absunt. Non enim propterea socijs odio fuere, uerum ob priorum temporū iniurias, & hoc uicti sunt, sui que fecere iacturā. Decet autem causas malorū adferre, non ea quæ postremo, sed quæ iam antea primum commiserunt, quibus ad huiusmodi finem deuenere. Quomodo ergo non longe ueriora dixerit, si quis imperium tum illis malorū extitisse fontem caussetur, quando uidelicet imperiū sibi maris susceperint, tum inde uires prioribus cepisse dissimiles esse suas. Ob præclaram enim ordinationē, quæ suo illis principatu uigebat, atque constantiam assiduitatemque, qua sese in ea exercebant, facile imperium obtinuerunt maris: propter licentiā uero & impunitatem peccandi, quæ sub imperio illis succreuerat, celeriter & eo primatu destituti sunt. Neque enim leges porro seruabant, quas à maioribus suis acceperunt.

C rant, neque in ritibus, quos prius habebant, permanebant: ceterum putan-
 tes licere sibi uel quicquid libitum sit agere, ad ingentem perturbationem
 sunt redacti. Nec enim exploratum tenuere potestatem, quam omnes asse-
 qui cupiunt, quam sit nullius commodi, nec quantum desipere faciat diligen-
 tes ipsam, neque quod similem scortis naturam gerat: quae quidem ut
 amentur faciant, amatores tamen perdunt: imò euidenter eius esse inge-
 nij probatum est. Nam qui in amplissimis antea potestatibus fulsere, in ex-
 tremas incidisse calamitates quis uideat, à nobis Lacedaemonijsque initio
 sumpto. Nam haec urbes antea prudentissime moderatissimeque admini-
 stratae, ac summa gloria conspicuae, postquam hoc adsecuti sunt, & acce-
 perunt imperium, nihil inter eas eminentiae uisum: uerum quemadmodum
 decet, ab hisdem cupiditatibus eodemque morbo corruptis, & eandem res
 aggressi sunt, & hisdem ferè sunt peccatis usi, ac in eadem tandem pecca-
 ta inciderunt. Nos uero odio habiti à socijs nostris, ac planè de libertate
 nostra periclitantes, ad seruitutem ferè redigendi, à Lacedaemonijs serua-
 ti sumus. Illi rursus cunctis eos perdere uolentibus ad nos confugien-
 tes, per nos salutem adepti sunt. At enim qui conueniat illud imperium
 commendare, quod adeò pessimum exitum fortiatur? quomodo uero
 non odisse & fugere, quod tam aspera ingentiaque admittere urbem no-
 stram incitarit, ferèque coegerit? Neque hoc mirum cuiquam uideri debet,
 si alio tempore imposuerit habentibus ipsum: quippe quibus multorum
 causa malorum extiterit. Neque hoc mirandum, quod tum à nobis tum La-
 cedaemonijs certatim sit expertum. Reperietis namque plurimos mortalium,
 circa rerum electionem peccare, ac maiores illis malorum quam bonorum
 insitas cupiditates, ac melius pro hostibus, quam seipsis consulere: atque
 hoc in maximis causis obseruatu facillimum. Quid enim non ita euenit?
 Nonne eadem nos agere maluimus quae Lacedaemonij, qui Graecorum
 domini facti sunt? At isti adeò perperam praefuere rebus, ut nos non mul-
 tis post annis supernatantes, illorum salutis denuò facti domini. An ne
 uarij temerarijque Atticissantium conatus, Laconissare ciuitates compule-
 runt? Lacones uero imitantium iniuria, Atticorum sectari mores easdem
 denuò coegerit? An ne propter concionantium publice nequitiam, popu-
 lus ipse Oligarchiam, paucorum illum principatum in quadringentorum con-
 stitutum iure affectauit? Propter insaniam porrò qua summa rerum Tri-
 ginta demandata, omnes populo gratiores sumus his qui sibi tribum ali-
 quam usurpant. Praeterea minutiora ipsaque uiuendi quotidiana ratione
 mihi demonstrari queant, qui ciborum cupedijs, alijsque studijs & corpo-
 ri & animo noxijs latent: laboriosa reputantes & aspera, à quibus utra-
 que haec iuuentur, propter quae item constantes iudicentur, qui in illis per-
 manserint. Si qui igitur, inter quae perpetuò uersantur, & quae illis prae-
 pue curae sunt, peiora uidentur eligere: quid mirum si de imperio, quod
 per mare est, eius naturam, commoditatem uel damnum ignorantes, depu-
 gnent mutuò? De quo nulla ipsos uera ratiocinatio deliberatione accessit.

A sit. Videtis & Monarchias, formas illas reipub. in quibus penes unū do-
 minatus est, in ciuitatibus existentes, à quot affectentur, qui uel quiduis *Monarchie*
 sustinere parati, modò eas obtineant, quibus quid non asperarū rerum, *discrimina.*
 quid non difficultum adest? Nōne protinus post acceptam potestatem,
 tot malis implicati sunt, ut cum omnibus gerere bellum ciuibus adigan-
 tur, odisse uero à quibus nihil mali perpeffi, nihil fidei habere neque ami-
 cis neq; sodalibus suis, cōmendare uero corporū suorum salutem merce-
 narijs homuncionibus, quorum nunquam agnouere mentem, nihilq; mi-
 nus timere custodientes, quàm sibi insidiantes? Adeò demum omnes su-
 spectos habere, ut ne familiarissimis quidem suis appropinquantes con-
 fidant. Nec id immeritò. Nouerunt enim eos qui antea tyranni uixerint,
 alios à parentibus sanè interemptos, alios à liberis, alios à fratribus, alios
 ab uxoribus neci datos, præterea genus ipsorū ex hominibus extinctū:
 attamen tot tantisq; calamitatibus se ultro subiiciunt. Quod si primas te-
 nentes, maximaq; celebritate insignes, tanta mala deamant, quid est cur
 alios admiremur, talia opera ardentè desiderātes? Nec me clam est, qđ
 de tyrannis sermonem charum habeatis, de imperio uero non æquo ani-
 mo auditis: omnium enim turpissimū fertis. Nam quæ in alijs conspici-
 tis, ea in uobis ignoratis ipsis. Atqui non minima eos sapientia conspi-
 cuos esse argumento est, si eas ipsas res in omnibus æque nouisse uidean-
 tur, quarum nihil uobis unquam curæ fuit. Cæterum tyrannides arbitra-
 mini difficiles esse noxiasq;, nedum alijs, sed ijs qui eis potiuntur: Impe-
 rium uero marinum, maximorū bonorum caussam, quod nihil tamen ne-
 que affectibus neq; actionibus à tyrannide distat. Ac Thebanorum sanè
 res putatis male sese habere, quod finitimis uim faciant: interim uos ipsi
 nihilo melius socios uestros gubernantes, quàm illi Bœotiam: neminem
 uestrum non decora agere existimatis. Proinde si mihi accōmodaritis au-
 rem, desistentes omnino à temeraria consultatione, adhibebitis mentem
 uestram tum mihi tum urbi, subductaq; ratione colligetis, considerabi-
 tisq; quid has ambas urbes, nostram uidelicet & Lacedæmoniorum, ex
 humilibus primum rebus profectam, imperare Græcis fecerit: postquā
 uero insuperabilem potentiam susceperè, circa mancipationis periculum
 sudare: Quasq; ob caussas Thessali maximis diuitijs acceptis, splendi-
 dissimam potentiam & amplissimam habentes, ad indigentiam peruene-
 rint: Tum Megarenses, quom & ipsis modicæ primum tenuesq; faculta-
 tes essent, expertes terræ, portuum deinde & argenti fodinarum, petras
 aratro sulcantes, præclarissimas Græcorū ædes possederint, & illorum
 tamen arces alij semper detinent, quom plura sint illis q̄ tria millia equi-
 tum, pelta armati innumerī. Illi uero tenues admodum uires habentes,
 eam ut uoluerint administrant, ac præterea secum ipsi semper belligeren-
 tur. Alij inter Peloponnesios & Thebanos habitantes ac nostrā urbem,
 paci perpetuò studeant, ac tranquillī uiuant: Nam si hæc horumq; si-
 milia uos ipsi expenderitis, reperietis, peccandi licentiam impunitam

C adeò libertatem, atq; iniuriam, horum fuisse malorū caussam: temperantiam uero bonorū, quam uos in uestris priuatis cōmendatis rebus, ac ea utentes in summa securitate æuum transigere existimatis, melioresq; ciues esse, cōmunem uero utilitatē eidem non adformare autumatis. Enim uero uirtutes amplecti & exercere, malitiā fugere decet, longeq; magis ciuitatibus, quàm hominibus priuatis. Nam impius & scelestus quispiā, oppetere mortem forte queat, priusquam dignam cōmissis suis pœnam luat: Ciuitates, quia mortalitati non sunt obnoxia, sustinent & ab hominibus & dijs supplicia. Quæ reputantes uobiscum, decorum est non aduertere mentem in præsentem ad eos qui grata uobis prædicant: futuris autem temporibus nullam uestri sollicitudinem gerant, neq; populū se amare profitentibus, totam uero reipub. uastantibus. Quemadmodum & antehac, simulac primum illi dicendi adsequerentur potestatem, ad tantum usq; imprudentiæ perduxerunt urbem, ut quæ antea recensui pertulerit. Et quod omnium maxime demiretur quisquā, populi ductores & concionatores constituitis, non eam sententiā, qua urbem auctiorem reddant habentibus, sed perinde tum dicentes tum facientes, atque perdentes ipsam, neq; ignorantes quicquā, quod urbem feliciorem boni à sceleratis differentes faciant: præterea reipub. formam, qua populū penes est autoritas & ius regendi, in illis, multis annis neq; motā, neq; transpositam, per hos uero paulo tempusculi iterum iam dissipatā: ac fugas exiliaq; tyrannorū ac Triginta temporibus factas, non per sycophantas huiusmodi, cæterum per eos qui tales oderunt, & maximam uirtutis nomine gloriā habent, reuersas. Attamen tot uobis relictis monumentis, quibus ciuitas utri se parti dederet, condiscere possit, adeò rhetorum dum ac rabularum nequitia oblectamur, ut licet, propter intestina bella et tumultus, quos ipsi excitarūt, ciuiū pleriq; à facultatibus exciderunt paternis, hos tamen è miseris opulentos redditos nihil ægre feramus, nec successibus istorum inuideamus: sed urbem toleremus calumnijs succumbere, ut quæ præterquā quod uastet, tributum etiam à Græcis colligat: hi uero sibi fructum inde uendicent. Ita usu uenit, ut populus liber, quem illi adserunt alijs dominari, indigniora patiat, quàm qui Oligarchijs seruiunt, paucorum siue principatui siue tyrannidi subditi sunt: quibus deinde nihil facultatum erat, eos per imprudentiam nostram ex humilibus beatos factos. Pericles ergo, qui ante huiusmodi uixit, populi constitutus dux, assumptam urbem, peius consulentem de obtinendo imperio, quàm antea, non tolerabilibus dum legibus administratam, ne ad suum quidem lucrum priuatum acriter intendit animum: uerum domum suam longe minorem post sese reliquit, quàm à patre acceperat, ad arcem retulit octies mille talenta, demptis quæ dijs consecrauit. At illi tantum ab his discrimen sunt nacti, ut affirmare eos non pudeat, præ publicarū rerum cura sibi non licere ut priuatis inuigilent. Verum illorum neglecta tantū cepisse profectū apparent, quantū neq; à dijs optare antea fuissent ausi.

Pericles.

Multitu

A Multitudinem uero uulgi adeò nostrum non iuuari aiunt, sic ordinatū, ut nemo ciuium suauiter aut magnifice uiuat, sed ut lamentis sit tota referata ciuitas. Alij quidem paupertatem et indigentiam recitare suam, ac semet ipsos deplorare coguntur: Alij multitudinem mandatorū, ministeriorū, exactiones item & retributiones: quæ tantos internos dolores pariunt, ut maiore dolore qui diuitias possident degant, quàm qui assidua paupertate uexantur. Miror autem si non potestis conspiciere, quod nullum genus hominum est maleuolentius uulgo rhetorum nequam, & populi ductorum. Ad alia enim mala et quotidie nobis necessarijs illi indigere nos maxime uolunt: obseruāt enim eos qui ex priuatis suas res administrare possunt, ad urbem pertinere, & ad eos qui optime dicūt: At eos qui è foro iudiciali, conuentionibus, & id genus inde lucris uiuunt, illis propter inopiam subiugatos esse: at multas habere gratias publicis accusationibus, et dicitis, alijsq; sycophantijs per ipsos factis. In ægestate igitur, cui ipsi infixi sunt, lubentissime omnes quidē ciues esse uiderint. Quod uel inde maxime cognosci datur. Non enim hoc perpendunt, quomodo egentibus uictum promoueant, sed quo pacto & quiddam possidere uisos, egenis æquiparent & assimilent. Qui ergo à præsentibus malis liberabimur? Ea de re uero plurima differui, nō ordine quidem, sed ut quodlibet se oportune dedit. Quorum maior nobis inhæserit memoria, si maxime urgentia colligens, denuò eadem enumerare periculum faciam. Sunt ergo quibus recte ordinauerimus, melioresq; reddiderimus urbis nostræ res.

B Primum quidem si huiusmodi publicæ rei consultores cōstituamus, quales priuatæ nostræ esse optarimus, cessemusq; ex populi esse commo-putare tales sycophantas. Desistamus honestos & bonos, Oligarchiæ seu tyrannidis, quam sibi pauci usurpent, existimare studiosos, comper- tum habentes, quod bonorū natura eousq; mali non declinet. At in qua quilibet honoratur, eam constitui politiā malunt. Deinde si uoluerimus socijs æque nostris atque amicis uti, ne uerbo tantūmodo liberos eos dimittamus, opere uero ducibus exercitus, ut pro sua libidine, quod libuerit, cum eis agant tradamus, neq; dominorum, sed cōmilitonum & sociorum instar illis præsimus: illud scientes, quod singulis quidem ciuitatibus præstantiores & potentiores sumus, uniuersis inferiores. Postremo si nihil prius, nihil antiquius duxeritis, quàm post deorum cultum atq; pietatem, Græcis chari esse. Nam talibus ultro & præfecturas & sese ipsos impertiunt. Quocirca si in hæcenus dictis permanseritis, ac præterea uos ipsos exhibueritis bellaces exercitatione & apparatu, Pacis amanteis & tranquillos, in hoc quod nihil præter decorū & iustum agatis, ne solum modo felicem hanc facietis ciuitatē, sed & uniuersos Græcos. Nulla enim alia ciuitatum audebit in eos peccare quicquā, sed cunctabuntur & erunt quietissimæ, ubi uiderint placide sedentem domi suæ nostram rempub. ac iniuriam passis opitulari paratam. Attamen utrum fecerint, nostra belle habebit & cōmode ciuitas. Siue enim eminentioribus urbibus uideam

C tur ab iniuria sibi temperare, nos tantorum bonorū caussam referemus. Siue uim adhibere moliantur, ad nos omnes qui sibi metuunt, maleq; patiuntur confugient, multum supplices futuri, precaturiq; , nedum principatum nobis dantes & offerentes suum, sed seipso quoq; , ut ne indigeamus quibus cum peccātes arceamus, sed ut multos habeamus qui nobis prompte bello certent. Qualis enim ciuitas, quis ue hominum non particeps esse amicitiae ex animo desideret, nostraeq; cōcedat in bellis societatis, ubi conspexerint eos utrinq; & iustissimos esse, & maximā obtinuisse potentiam, alios quoq; seruare & tum uelle tum posse, ipsos uero nullius praesidio indigere? Quantum uero necesse est augmentum expectare, quod nostrae urbi accedet, tanta ab alijs beneuolentia existente? Quantas deinde in urbem nostram diuitias influxuras sperandum, tota per nos Graecia conseruata? Quot laudaturos tot tantorumq; bonorum nos autores factos? Enim uero nō possum, propter senio confectam aetatem, omnia uerbis complecti, quae cogitatione contemplan. Veruntamen pulchrum est, alijs iniurijs & insanijs, qui prudentia primi fulserint, Graecorum libertati, & saluti praepone, uerum eorum nō corruptores, per-
 Peroratio. spicuosq; uirtute factos, maiorum celebritatem recipere. Caput omniū, hoc mihi dicendum, ad quod omnia praedicta incumbant, & iuxta quod
 D introsipientes res urbis et negocia probare necessum est. Nam oportet si modō uelimus dissoluere calumnias, quibus iam nunc succumbimus, à bellis frustra susceptis, temerarijs adeò abstinere: possidere uero principatum, nullo non tempore cuncta tyrannica imperia et potentias odisse, reputantes quidnam inde calamitatis, quantum miseriae prouenerit: æmulari uero imitariq; Lacedaemoniorū regnum: illis enim minus iniuriā inferre licet quā alioqui uulgaribus, tanto beatiores, ui tyrannides occupantibus, quantum qui tales interimunt, maxima à simul rempub. gerentibus dona recipiunt. Pro istis uero non audentes in praelijs mori, maiore contumelia adficiantur, quā qui aciem linquant, aut scuta reijciant. Dignum igitur nos talem expetere dominatum principatum ue. Rebus porro huiusmodi adiacet, talem nos à Graecis honorem consequi, qualis à ciuibus illis defertur, ubi uiderint potentiam nostram, nō seruitutis, sed salutis fuisse caussam. Caeterum quom pleraq; dum in idem argumentū hoc & uaria supersint mihi satis, ut finem dicendi faciam, suadent utraq; , cum orationis prolixitas, tum annorum meorum numerosior multitudo. Iuniores uero, meq; aetatis flore robustiores hortabor, ijsq; dabo in mandatis talia dicere, & iuxta scribere, quibus potentissimas urbes alijs negociū faceffere, malaq; exhibere solitas, ad uirtutem, ad iustitiam admo-
 neant. Sic fiet, ut in felici rerum totius Graeciae successu, philosophorum caussae, literae & studia longe sint melius habiturae, ad secundio rem re-
 ductae statum.